



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA HERMOSILLEN SIS * HERMOSILLEN SIS
ECCLESIA AD GRADUM SEDIS METROPOLITANAE EVEHITUR, CUI SUFFRAGANAE SUBICIUNTUR DIOECESSES
OBREGONENSIS ET TIGIUANAENSIS. Mexicana natio, cuius fides «multo pretiosior auro quod per ignem probatur» (1
Pt. 1, 7), Apostolicae huic Sedi tantae usque curae fuit ut saepe, vel proximis annis, dederint Romani
Pontifices singularem erga eam suae benevolentiae ac sollicitudinis documenta: agitur enim de
nobili Ecclesiae parte, cuius progressus, quos haud mediocres in religione et in civilibus rebus
facit, oportet sane pari externa compage fulciri. Quam ob rem, ex postulanti venerabili Fratri Aloisio
Raimondi, Archiepiscopo titulo Tarsensi et in Ditione Mexicana Apostolico Delegato, ut ibi locorum
nova ecclesiastica provincia constitueretur, cuius esset metropolis Ecclesia Hermosillensis, audito
quid sentirent quorum interesset locorum Ordinarii, de sententia venerabilium Fratrum Nostrorum
S. R. E. Cardinalium rebus Consistorialibus praepositorum atque summa Nostra potestate
sequentia decernimus. A provincia ecclesiastica Chihuahuensi *Hermosillensem* Sedem
seiungimus, eamque ad gradum et ordinem metropolitanae Sedis evehimus, datis iuribus et
honoribus quibus ceterae eiusdem ordinis Ecclesiae lege ecclesiastica fruuntur; eadem iura
Praesulibus facimus, quibus etiam onera imponimus quae iusta sunt Venerabilem igitur Fratrem
Ioannem Navarrete y Guerrero, Hermosillensem Praesulem, archiepiscopali dignitate
honestamus, factis iuribus et honoribus, obligationibus etiam impositis quae Archiepiscopi
Metropolitae dignitatem consequuntur. Nova autem provincia ecclesiastica, praeter
Hermosillensem metropolim, Sedibus Tigiuanaensi et Obregonensi constabit, quam quidem a
metropolitana circumscriptione Chihuahuensi separamus; Chihuahuensis vero provincia Ecclesiis
Chihuahuensi, Civitatis Iuarezensis et vicariatu Apostolico Tarahumarensi. Ceterum volumus haec
Nostra decreta venerabilis Frater Aloisius Raimondi, quem diximus, ad exitum adducat, vel quem
ille delegaverit, factis ad id necessariis facultatibus. Re vero acta documenta exarentur, quorum
sincera ex empia ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittantur. Quodsi alius eo
tempore Apostolicus Delegatus in Ditione Mexicana erit, hic iussa Nostra faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae
per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant.
Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum
per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel
scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis

impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertiodecimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

<p>IACOBUS A. card. COPELLO S. R. E. Cancellarius</p>	<p>CAROLUS card. CONFALONIERI S. Congr. Consistorialis a Secretis</p>
---	---

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Protonot. Apost.*
Caesar Federici, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 8, pp. 496-497

© Copyright 1963 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana